

Heinrich Rahn

**Dissertatio, De Felicitate Civili, Et Cur Omnes Beati Esse Cupiant, Sint Tamen Paucissimi! : Ab Henrico Rahni, Icto Celeberrimo, & designato Procancellario Conscripta habendaq[ue] At Isto subita quidem, beata tamen morte extincto, Mandato Speciali Serenissimi Principis Ac Dn. Domini Christiani, Ducis Mecklenburgici ... Recitata in Aede Mariana IV. iduum Aprilis a Jacob. Sebastian. Lauremberg. Ampl. Fac. Iuridicae p. t. Decano ...**

[Rostock]: Kilius, 1642 [?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756517052>

Druck    Freier  Zugang





J. 4505.

A-1257(7)5

DISSERTATIO,  
*de*  
FELICITATE CIVILI, ET CUR  
OMNES BEATI ESSE CUPIANT,  
SINT TAMEN. PAUCISSIMI!

*ab*  
HENRICO RAHNIO.

JCTro Celeberrimo, & designato Procancellario  
*Conscripta habendaq;*

*At*  
Isto subitâ quidem, beatatamen morte extincto.  
MANDATO SPECIALI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DN.  
DOMINI

CHRISTIANI,

Ducis Mecklenburgici &c.

Universitatis hujus Cancellarii.

Magnificentissimi, M 1257(7)  
Recitata in Aede Mariana IV. iduum Aprilis.

*à*  
JACOB. SEBASTIAN. LAU-

REMBERG. Ampl. Fac. Juridicæ p. t.

Decano & in actu Promotionis PROCAN-

CELLARII vices muniaq; functo.

---

Literis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. An. M. DC. XLII.

1742

VIRIS

*Amplissimis, Consultissimisq;*

DN. VVULBRANDO ADOLPHO  
ROBBIGIO, ab Halberspring, Sereniss.Du-  
cis Lunæburg. Brunsvicensis Consiliario & Ad-  
vocato Fisci.

DN. LUCAE Koß.

DN. JOANNI CHRISTIANO Beselitt.

DN. GEORGIO RADOVIO.

DN. OTTONI NICOLAO

*Reppenhagen.*

DN. MICHAELI PANCRATIO.

DN. DAVIDI MATTHÆO Schüren.

DN. JOANNI BERNHARDO

*Zinckeling.*

J.U. DOCTORIBUS EXIMIIS:

DN. JOACHIMO FRIDERICO

*Garsstens.*

J.U. LICENTIATO CLARIS-

SIMO.

S. & Q.

S. & Q.

Ulam vobis heic nuncu-  
po, inscriboque differ-  
cationem, non tota qui-  
dem mea est, aliquam  
tamen ejus partem mihi  
asserio vindicoque jure  
Quiritium; nec aliquam  
profecto, sed quantum ad vos attinet, præ-  
cipuam, si recte arbitremini: Etenim Se-  
renissimi Principis ac DN. DN. CHRI-  
STIANI, Ducis Mecklenburgici &c. A-  
cademiæ hujus Cancellarii Magnificentis-  
simi, DN. mei Clementissimi, Celsissima  
autoritate, specialique Mandato armatus  
atque instructus, vos Juris utriusque LI-  
CENTIATOS publicè creavi, renuncia-  
vi, proclamavi, quod aliquot loquuntur  
hæ, protestanturq; paginæ. Ita mihi, ho-  
noribus in Jure secundi gradus, insignire,  
atque exornare memorabili illa festivaq;  
IV. Iduum Aprilis die, tot numero Viros

con-

Dicitur

contigit, quot vice una intra lustra forte,  
bina apud nos quidem, nemini; quos inter  
nullum fuisse, nisi eruditio*n*is exquisit*a*,  
Titulumque, & Privilegia, atque immuni-  
tates Doctorum, satis abundeque prome-  
ritum (non auribus vestris hoc, sed virtuti,  
tribuo) sine adulatio*n*is noxia aut suspi-  
cione profiteor.

Vos Amplissimi, Consultissimique  
Viri, qui partim in aulis Principum vivitis,  
obitisq; egregia munia, partim in illustri-  
bus judiciis causas clientum peroratis  
tractatisq; feliciter, & quid multis? omnes  
prodestis egregio publico pro sua quisque  
virili, Nunc upationem hanc vestris ho-  
noribus Nominibusque sacram atq; dica-  
tam, ea interpretabimini accipietisq; men-  
te, ut officium quod vestri causa publica  
autoritate sustinui fundatusque sum, non  
ingratum vobis esse comperiar.

J.S. LAUREMBERG. D.

Si mei



I mei arbitrii res foret & optionis, mallem tacere potius in præsenti hac publicaque Panegyri atque splendido tot præcellentissimorum hominum confessu, aliisque dicturis aurium operam porro cum pro-lubio accommodare impartirique, quam rumpe-re silentium, & vel ullum profari verbum; Verum enim vero sic casus tulit, heu satis tristis, sic inopinata, quæque nunquam prævideri, aut evitari potest fatorum series, aut lex jubere quasi visa est, quod præter omnem meam spem & exspectationem hodiè in hanc concendentium habuerim catedram. Scilicet adeo in præcipiti & lubrico, stant mortalium res, ut momento horæ citius rotentur, ruantque; adeo mutabiles & variæ sunt, ut nulla penè nova nascatur lux, quæ non novas objectet vitæ nostræ sollicitudines, incutiatque ex transverso multa, quæ pridiana cogitatione mens nunquam antevorterat. Ita in orbe universo caduca omnia fluxa, verè vitrea; Vultis auditores,

A

res,

res , altiori voce me vobis cum loqui humana  
omnia, sumus, umbra, vanitas, scenæ imago , &  
ut verbo absolvam , nihil. Cæterum illud præ-  
primis querimur , & deploramus merito , hominis  
animantium omnium dominatoris , cuiusq; com-  
modis cætera cuncta natura , aut naturæ conditor  
& opifex genuit produxitque, præ cæteris anima-  
libus dum vivit miserabilem esse ærumnosissimam  
que sortem; quippe hic nudus è claustris maternæ  
alvi ejicitur , aut erumpit, cum bruta arboresque  
sua habeant egregia tegumenta; hunc à lucis ru-  
dimento ipso statim, vincula, & omnium membro-  
rum nexus excipiunt, quorum immunes feræ be-  
stiæ sunt: nempe manibus pedibusque ligatis sja-  
cet à matre rubens, recensque natus homo , ani-  
mal flens, & natalem suum à vagitu ploratuque e-  
xordiens. Heu dementiam ab iis initii existi-  
mantium ad superbiam & fastum se genitos, cri-  
stasque erigentium , & vesanæ mentis ostentantiū  
superba deliramēta! ad miseras, ad supplicia, innu-  
merabilesque calamitates nascimur miselli, quibus  
exercendos nos natura quasi tristis, diraq; & ma-  
levolens noverca exponit, prostituitque. Harum  
seriem texere aut catalogum nec possum in præ-  
fensi, nec volo; at cur huc non referam, & quasi col-  
locem in limine, quod nulli fragilior quam homini  
vita contigerit , obnoxio longe pluribus morbis,  
de

de compacto quasi in illius perniciem conspirantibus, quam unquam medicinæ ex cogitaræ sunt. Ex hac tetra stipataque cohorte, alii ubi incessere, diutinis exquisitissimisque doloribus torquent corpora, & excarnificant, alii jugulant confessum, & momento animulam sede sua, & habitaculo pelunt, exturbantque. Hi obitus repentini sicuti in miraculo habiti semper sunt, ita plerumq; magnis eos Viris contigisse legimus in Annalibus. Nobilitati hac felicitate, (mortes enimpias & subitanas inter summas deputo felicitates) Chilo, Sophocles, Dionysius, & plures, quorum nunc numero non veniunt in mentem mihi nomina.

Sed quid hospita quæro, aut vetera Heroum exempla? nobilitatus quoque hâc felicitate Nobilissimus HEINRICUS RAHNIIUS JCtus exquisitissimus, solertia, legum scientia, & fide nemini secundus, Collega & Compater noster, dum super erat, intimus & honoratissimus. Elapsi sunt AUDITORES abhinc ipsi ter ternides, cū virum istum, & amicum singularem, non satis belle se habentem venirem visitatum; introductus in museum ejus, museum illud librorum deliciis invidiosum, ubi jurares Musas & Apollinem perpetuam destinasse mansionem & delectabile domiciliū, condesciante feralem lectulum; cæpimus de honestis rebus pie confabulari, sanus mihi videbatur Rahnianus

nius, & viribus corporis æque integer, ac animi eū  
esse comperiebar, sed & interdum serios sermo-  
nes innoxiis liberalibusque leporibus irradiabat,  
quam illi amabilitatem natura singulari exemplo  
concesserat, cum raram alioqui soleat facere  
mistoram delectabilis honestaque jocandi tempe-  
stivitas, & decens decoraque gravitas. tandem di-  
cta acceptaque mutuo humanissima salute porre-  
ctisque dextris, cum ego defunctus iis forem, quæ  
tali tempore amor, & Christiana pietas suggestere  
solet, discessi, invitatus à decumbente blanditer ut  
mox reviserem; quid sit? nondum domum meam,  
unam solam circumspaciatus plateam, attigeram,  
cum ecce hic & ille, ut magni Viri ne quidem in  
morte diu latere poslunt, fulminat aures meas  
horribili nuncio, Rhanius dedignatum mortali-  
tatem, reliquisse terras, remigrasseque in Cælos;  
obstupescere ego, consternari, intra aliquot ho-  
ras non redire ad me, non recipere animum, utpo-  
te qui excors non sum aut ferreus, aut Tygride  
natus, quod & è vobis plurimis evenisse certo scio.

Ita subità quidem, sed egregia tamen pulcherri-  
maq; morte corrupt⁹ Rhanius, vita inopinanter ex-  
cessit, & longiore medius fidius dign⁹, & qui ad vos  
**SPECTATISSIMI AUDITORES** in præsenti Pa-  
negyri verba facere debuisset, destinaveratque,  
utpote jam omnibus adornatis, quæ ad id feli-  
ci-

citer glorioseque expediendum necessaria vide-  
bantur.

Hoc vero officium cū nec vobis A. nec imprimis  
Tibi Spectabilis Domine Decane quod intēderat, &  
mandatus erat, præstare possit, nunc beata Rhani  
mens, in longe sublimiori catedra Deo nostro mel-  
litissime modulans, Serenissimi quidem Principis &  
DN. D.N. CHRISTIANI, Ducis Mecklenburgici,  
Principis Veterum gentis Henetæ, Sverini & Ra-  
tzeburgi, Comitis Sverinensis, Rostochi & Star-  
gardiæ Dignastæ, Cancellarii hujus Universitatis  
Magnificentissimi, DN. nostri Clementissimi, ego  
gratiose mandato, sepius collaudato Viro piæ glo-  
rioseque recordationis, sum succenturiatus, suffe-  
ctusq;, sed hac condicione, uti Orationem eo te-  
nore, quo à defuncto est concepta meditataque  
è breviculo chartave, qui alioqui haec tenus mos  
meus nunquam fuit, recitarem. Faciam ergo hoc  
bona fide, & nullo interpolato verbo, aut addito,  
demprote, istam ut sic dicam virginem illibata-  
tam, ne minima quidem supposititia syllaba adul-  
teratam, aut pollutam edis fertando aut legendo  
rectius, repræsentabo. Vos Aud. qui quondam  
disertissimum Rhanium cum maximo animi pro-  
lubio, plus quam semel, ex eodem hoc suggestu  
auscultasti concionantem, nunc novissimos vo-  
bis conscriptos destinatosque ejus sermones avi-

dis & favorabilibus auribus accipere non pigra-  
bimini, quos ô utinam ipsus facundo ore heic  
hodie eloqui potuisset sine mea opera subsidia-  
ria ? Sic vero noster dicere voluit Macarites.

**R**ihuendum aliquid est pristinæ con-  
suetudini, & protoquendum de re  
materiave, tanta & tam egregia, quâ  
me conceptum conspicio, concione  
dignâ; verum quid à me vel jucundū  
vel accommodatum exspectari potest, qui nullis  
vel naturæ vel doctrinæ præsidiis, ad dicendum  
simparatus, nec sermones meos lepore singulari  
condire didicerim.

Verba tamen faciam oppidò invitus. Argu-  
mentum sermonis mei sit de **FELICITATE CI-  
VILI**. Vox omnino grata & suavis; sed rem de-  
notans arduam, & in hac hominum infelicitate  
atq; miseria rarissimam, inventuque difficilem.  
Imò dubitari posset an unquam sit reperta, aut re-  
periri queat in societate humana, etiam si ad Dio-  
genis lucernam quereretur : Cum nostra vita  
nihil aliud sit teste Ecclesiasta, quam vanitas vani-  
tatum, & secundum Bernhardū nullus in ea honor  
sine labore, & nulla sublimitas sine vanitate.

Imprimis vero felicitatem humanam dubiam  
faciūt diversæ & variae Philosophorum opinione,  
in-

inter quos non convenit, quænam & in quo, sit sita  
hominis beatitudo Civilis. Interim dari aliquam,  
licet imperfectam valde, in hac sphæra sublunari,  
felicitatem, Inegari vix poterit, cum detur virtus  
& actio secundum virtutem, in qua qui beatitudi-  
nem illam humanam consistere arbitrantur, illi,  
meo quidem judicio à scopo non planè aberrant.

Ex operatione namque & usu virtutis (non  
excludo hic in Christiano pietatem, & quæ illam  
comitantur virtutes) tanquam vita civiliter recta  
resultat mentis tranquillitas & lætitia cordis, bona  
fama, vitæ sufficientia, & denique civilis illa, de qua  
mihi animus loquendi, felicitas.

Non autem ostendam quomodo illa vel ac-  
quiratur, vel conservetur, & quæ sit ipsius vis, aut  
utilitas; quia id nec mearum est partium, nec viriū;  
sed illud saltem placet inquirere: CUR OMNES  
BEATI esse CUPIANT: sint tamen paucissimi:  
Id enim quomodo fiat, & unde oriatur, cum ab in-  
cunte ætate fuerit mihi dubium, paucis pro ratione  
temporis demonstrabo. Unamque & alteram e-  
jus infelicitatis causam primoribus quasi labijs at-  
tingam adducamque.

Oratoris proprium est apte, distincte, orna-  
teq; dicere. Quo in studio licet ætatem non con-  
sumpserim: tamen attentionem vestram. Auditores  
optimi mihi promitto, tum ob rem ipsam, de-  
qua

qua locuturus sum ; tum ob Celsitudinem & au-  
thoritatem ipsius, cuius jam vices sustineo. Quod  
ergo dicenti deest, vestra humanitate & benevo-  
lentia suppleri vehementer expeto.

Verba ego conferam maximè ad compendiu.

Ita verò ordior.

Homines, vel bipedum nequissimos quoque, si in-  
terrogaveris, quò contendant ? ad beatitudinem  
consequendam, respondebunt. Omnium mor-  
talium labores, vigiliæ, peregrinationes eò colli-  
neant, ut, felicitatis compotes, vitam beatam, o-  
mni turbatione vacuam adipiscantur. Hic est sco-  
pus cuiq; mortalium propositus, quem attingere  
omni contentione totisq; viribus coniiciuntur. At-  
tamen per quam pauci sunt, & nigro cygno rario-  
res, qui perveniant ad istam mētam, qui hac olym-  
piâ coronentur, qui ferant hanc palmam lemni-  
scatam.

Hoc ipsum inde PRIMUM censeo proveni-  
re, quòd homines aliud dicant, aliud velint. • Multi-  
ta in speciem dicuntur, quibus si personam dem-  
pseris, vana & inania apparebunt. Eandemq; ra-  
tionem existimo nisi fallor; reddidisse magnum il-  
lum & nervosum methodum artificem Aristotelem,  
quando ait: Non eadem & volunt & dicunt ho-  
mines: sed pronunciant verba honestissima &  
speciosissima : volunt autem quæ expedire vi-  
dean-

Ariſt.  
1. Ethic. 2.

deantur. Exempli gratiā: honeste mori potius,  
quam jucunde vivere, dicunt oportere; & pau-  
pertatem justam, divitiis turpiter partis, ajunt,  
esse anteponendam; sed contraria volunt. Cui  
suffragatur Lucretius his numeris.

Hinc licet advertas animum, magis omnia laudis

Aut etiam venti, cum fert ita forte voluntas

Jactari causā, quam quod res ipsa probetur.

Hinc etiam is ipse Diogenes, (qui dicenti, malum,  
esse vivere: Non, respondebat, vivere, sed male  
vivere, apud Laertium) notat Oratores, quod stu-  
derent justa dicere, non autem facere; vulgus quo-  
que hominum reprehendit propterea, quod bo-  
na fortunae vituperaret, & summè diligeret; quod  
contemnentes divitias laudaret, ipse verò minime  
imitaretur hosce pecuniarum contemptores: sed  
potius pecuniosos atque avaros sequeretur. Recte  
enim facerent, qui illorum, quos laude dignos ju-  
dicarent, imitatores existerent.

Similes sumus & grotantibus (& quid aliud vi-  
ta nostra est, quam perpetua & gritudo, Alius alio  
morbo laborat) qui in infirmitate aliud volunt, a-  
liud si convaluerint: in proposito non perseverant;  
sed desultoria potius levitate redeunt ad ingenij.  
Plinius secundus mihi videtur rem illam expressissi-  
se, imo, quod ajunt, acu tetigisse, præscribens Ma-  
ximo suo constantiam votorum, quā & grotantes

B

con-

concipere solēmus: Amici cujusdam, inquit, lan-  
guor me admonet, optimos nos esse, dum infirmi  
sumus. Quem enim infirmum aut cupiditas aut  
libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit  
honores, opes negligit, & quantulum cunque, ut  
relicturus, satis habet: tunc Deum adorat, tunc  
hominem se esse meminit; invidet nemini: nem-  
inem miratur, neminem despicit, ac ne sermoni-  
bus quidem malignis lacerat. Summa curarum,  
summa votorum est: Si sanitatem recuperaverit,  
se velle vitam innoxiam beatamque vivere. Pos-  
sum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam  
voluminibus sapientes docere conantur, ipse bre-  
viter tibi, mihique præcipere, ut tales esse saniper-  
severemus, quales nos futuros profitemur infirmi.

Hoc igitur primum est obstaculum, quod  
nobis viam præcludit ad felicitatem civilem. At  
Alterum ferè ejusdem ponderis & valoris in eo co-  
sistit, quod multi sint, qui velint, quod dicunt, sed  
ne hoc ipsum præstent, multa illis conatus diffici-  
les, non dicam impossibiles facessunt. Inprimis  
enim præter cætera, aliud suadet mens, aliud cu-  
piditas, quæ mentem ipsam, & rationem vel re-  
pugnantem, transversam agit suis lenociniis.

Sensit hanc pugnam ipse Gentium Doctor  
Paulus, quando exclamat: Bonū, quod volo, inter-  
mitto. Amplissimus h̄ic mihi aperiretur dicendi  
cam-

campus, si vellem deflectere ad beatitudinem cælestem & perfectam. At uti hoc non est mei munieris, ita persistam in ea, quam ingressus sum, via. Dico ergo certamen illud inter rationem & cupiditates satis expressum a Poeta, qui canit

--- Nova vis trahit invitos; aliudque cupidus,  
Mens aliud suadet: videas laudanda probesq;;  
Deteriora tamen, pulsâ ratione, sequaris.

Luculenter etiam ejusmodi affectiones animi contrarias nobis exhibet antè citatus Plinius impatiens doloris, quo in morte Rufi cruciabatur. Adhibet scribit ad Amicum Calestrium, solatia, non hæc: Senex erat, infirmus erat, (hæc enim novi) sed nova aliqua, sed magna, quæ audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quæ audivi, quæ legi sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur.

Quoties igitur non obtemperamus rectæ rationi, toties à scopo felicitatis aberramus.

Sicut enim virtus est vis & effectus rationis rectæ, ita humani affectus, si non conipescantur, sunt ipsæ genetrices vitiorum. Siquidem recta ratio est præclarus motus ingenii, radiis mentis illustratus, adeò ut ad hanc unicam regulam, totam vitam conformari, fas sit, & æquum. Quippe cuius unius munus est affectus concidere, & cupiditates domare. Sine qua luce omne curriculum est fallax. Hinc quemadmodum na-

vis orta maris tempestate facile submergitur; si  
gubernator suâ non prohibeat & avertat industriâ;  
ita affectus hominem rapiunt ad deteriora, nisi sa-  
na ratione gubernentur & refrenentur. Necesse  
igitur est mentis monitis acquiescamus, ut quic-  
quid illa suadet, cupiditas amplectatur; si, quod di-  
cimus & profitemur præstare velimus: si, quod  
audimus, esse cupiamus. Hic autem præprimis  
cavendum esset, ne assentatoribus patefaceremus  
aures, nec adulari nos sineremus. In quo facile  
fallimur. Tales enim nos esse putamus, ut jure  
laudemur. Ex quo, tanquam ex venenato fonte  
Cic. I. Off. p.m. 27. in  
fin. nascentur, testante Cicerone, innumerabilia pec-  
cata; cum homines inflati opinionibus, turpiter  
irrideantur & in maximis versentur erroribus. At  
quedum locum relinquunt assentatorum palpa-  
tionibus, vel laudibus imperitæ multitudinis, lon-  
gè deflectunt à via beatitudinis, ad tramitem in-  
justitiae. Quam exercere non erubescunt duobus  
præsertim motis, aut vi, aut fraude. Fraus  
quasi vulpeculæ, vis Leonis videtur: utrumque a-  
lienissimum est ab homine, ejusque felicitate;  
quam tamen ita consequi satagunt insulsi plane  
& fatui.

Siquidem omnis opinio ad eam spem tradu-  
cenda est, ut honestis consiliis justisq; factis, non  
fraude, non vi, aut malitia, intelligamus nos ea,  
qua

quæ velimus consequi posse. Alio qui incedunt  
tramite ad felicitatem civilem nunquam perve-  
niunt; sed perpetua infelicitate oberrant, licet  
felices videantur. Seneca optimus ille præceptor  
pessimi discipuli ita describit falsæ felicitatis ama-  
tores, dicens: Isti, quos pro felicibus aspicias, si, nō  
quâ occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt,  
sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum  
extrinsecus culti. Nulla est illa sordida & sincera  
felicitas, crux est, & quidem tenuis. Itaq; dum  
illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent  
& imponunt, cum aliquid incidit, quod disturbet  
& detegat, tunc appareat, quantum altæ & veræ  
fœditatis absconderit.

Quamvis autem præter illos, quos diximus,  
inveniantur, qui volunt, quod dicunt, & qui sedu-  
lam navant operam, ut cupiditates mentis moni-  
ta admittant; quibus tamen artibus finem illum-  
bene beateq; in hac civili societate consequevi pos-  
sint, omnino ignorant. Unde terminum cupiunt  
attingere; sed aberrant, & nesciunt, quâ semitâ sit  
eundum. Peccant isti electione. Nam ad obti-  
nendam beatam in hac imbecillitate humana &  
inter tot errores vitam contendere debemus eli-  
genda ea, quæ ad eandem ducunt, non quæ ab  
illa retrahunt. Hic aqua hæret quam plurimis.  
Hæ multorum propriæ sunt ruinæ. Est enim ho-

minum error evidens at varius. Quia alius vult  
haberi & videri beatus divitias cogendo, alius ho-  
nores prosequendo, alius voluptates consequen-  
do; sed istæ viæ tam longè recedunt à civili bono,  
quam quod est longissimum. Plerumque solemus  
eas artes, easque vitæ rationes suscipere, quas er-  
rantium multitudo amplexatur. Quasi verò si in-  
sistamus cùdem via, qua cæteri mortales, rectè  
pergamus ad felicitatis sedem. Verūm exem-  
pli raro rectè vivitur, quamvis existimetur vulgo,  
id jure fieri, quod sit exemplo. Ad exemplum  
ergo, tanquam ad noxium vivendi magistrum.  
referimus cum sapientissimo Seneca difficultatem  
assequendi in hac fragilitate beatam vitam.

*Sen. de  
beat. vita  
cap. i.*

Vivere, ait ille, omnes beate volunt, sed ad per-  
videndum, quid sit, quod vitam beatam efficiat,  
caligant. Adeoq; non est facile consequi beatam  
vitam, ut ab ea quisque eò longius sàpè rece-  
dat, quò ad illam citius fertur, præsertim, quan-  
do non ductum rectæ rationis, sed fremitum & cla-  
morem dissonum in diversa vocantium sequitur.  
Conteritur vita inter errores, in quos facile labi-  
mur. Decernatur itaque & quò tendamus, & quæ  
non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quæ  
procedimus. Quoniam quidem non eadem hic,  
quæ in cæteris peregrinationibus conditio est: in  
illis comprehensus aliquis limes, & interrogati in-  
colæ

colæ non patiuntur errare. At h̄ic tritissima,  
quæq; via & celeberrima maximè decipit.

Nihil ergo magis præstandum, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem,,  
pergentes non quâ eundum est, sed qua itur. At  
qui nulla res nos majoribus malis implicat , quam  
quod ad rumorem componimur: optima rati, ea,  
quæ magno consensu recepta sunt, quorumque  
exempla nobis multa sunt, nec ad rationem sed  
ad similitudinem vivimus.

Inde ista ·tanta Coācervatio aliorum supra  
alios ruentium. Quod in strage hominum ma-  
gna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita  
cadit, ut non aliud in se attrahat. Primi exitio se-  
quentibus sunt.

Hoc in omni vita accidere, videoas licet.  
Nemo sibitantum errat, sed alii erroris causa est &  
auctor. Nocet enim applicari antecedentibus, &  
dum unusquisque mavult credere, quam judica-  
re, nunquam de vita judicatur, semper creditur,  
versatque eos atq; præcipitat, traditus per manus  
error, alienisq; perimus exemplis. Sanabimur  
si modo separeniur à cætu : nunc verò stat con-  
tra rationem, defensor mali sui, populus. Eadem  
probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus est  
omnis judicii, in quo lis secundum plures datur.

Hæc ex Philosopho Latino dum narro, non o-  
mni-

ninino rejicio exempla, quæ cum bona ac sana ratione concordant, & maximiè digna sunt imitatione. Plus enim interdum conducunt parentum, magistrorum, sodaliumq; mores, quam præcepta, quam leges, quam ipsa natura.

Quemadmodum, inquit Basil. enim, pictores lineamenta rei, quam depingunt accuratè obseruant, & ea ad sui opificii usum transferre student: sic qui satagunt, se omnibus virtutis partibus perfectos efficere, ad mores & actiones sanctorum & laudatorum virorum frequenter oculos animi convertunt.

Quod si verò mores & exempla declinent à ratione recta, nec justo & æquo viro ea imitari convenit, tum morum corruptelam ex Republica sent. & & judiciis sublatam vult Justinianus Imperator, re jud. quando præcipit, ut non exemplis, sed legibus vivatur. Id quod sine dubio deduxit ex Responsu off. præsid. so Proculi, monentis: Non tam spectandum esse, quid Romæ factum sit, quam quod fieri debeat.

Sed relictis iis, qui exemplis & communi errorè à recta via beatitudinis ad devia rapiuntur, venio ad illud hominum genus, qui felicitatem civilem non assequuntur, propterea quod putent eandem sibi acquisivisse. Unde nolunt ulterius progredi, quasi metam attigissent. Et hæc opinio in-

in illorum animis altius radices egit, qui de semi-  
mis elate, magnificeq; sentiunt.

Hanc quoq; corruptelam jure meritò iterum  
cum Stoico Corbuensi reprehendendam arbitror  
his verbis: Puto, multos potuisse ad felicitatem  
pervenire, nisi putassent se pervenisse: nisi quæ-  
dam in se dissimulassent, quædam apertis oculis  
transiliissent.

Non est enim, quod nos magis alienâ perire  
adulatione, judices, quam nostrâ velimus. Ne-  
que unus saltem aut alter est, quin vix primum  
in viapedem posuerit, quin sibi videatur in meta  
ambos habere. Unde Bioni dicitur, opinio, quâ  
mundus plerumque regitur, profectus impedi-  
mentum. Cum quo consentit Fabius, à quo il-  
lud est: Magnos profectus frequenter perdit ar-  
rogans de seipso persuasio: quæ vitam non facit  
beatam, sed fingit & ostentationi tantum parat.  
Siquidem arrogantem torquet observatio sui, in-  
ter laudantium blandientiumque positus gre-  
ges, plurimum sibi assentatur, & simul deprehen-  
di aliter, quam solet, metuit: nec unquam cura  
solvitur, qui toties se æstimari existimat, quoties  
aspicitur.

O miseræ hominum mentes, ò pectora caca!

Liceat mihi rem per Apologum explicare:  
Præferens se formicæ musca; Vide dicebat, quan-

C

ta

ta sit tua huius militas, quanta infelicitas, cava loca ter-  
rarum incolis, & perpetuò humili reptas, magno la-  
bore victimi quærens; at me alz in sublime fe-  
runt. Me excipiunt mensæ regiæ. Cum Prin-  
cipibus, cum Magnatibus ex auro argentoq; vina  
haurio, delicatissimis cibis vescom, purpuræ incum-  
bo: quin etiam mellitissimas sæpe genas formo-  
sarum exosculor. Fastidiosæ huic & opinioni  
felicitatis respondebat formica: Etiam hoc ad-  
de: improbitatem tuam invisam & odiosam esse  
omnibus: contra te flabellæ & venenæ parari.  
Itemque hoc: modicâ anni parte durare hanc,  
quam vanè & frustra jactas felicitatem, dum sol  
fervet; hyeme vero & frigore statim interim oc-  
cidere. At ego æstate breviori labore exerceor,  
at hyemali tempore quietam & securam vitam  
possum degere. Discant igitur à formica illa, in-  
solentes stultam & imaginariam suam felicitatem  
longe abesse à beata vita, quæ sine magnis incom-  
modis, non parvas secum ad fert commoditates.

Quamvis autem felicitas sit finis, quem unus-  
quisq; mortalium vel attingere conatur, vel se ad  
illum adspirantem profiretur: tamen revera, uti  
& antea dictum, id præstant homines. DICIS:  
CAUSA, ut est positum in veteri Juris Consulto-  
rum proverbio.

Quod cum egregiè hunc dictorum facto-  
rum.

rumq; dissensum explicet, eaque ipsa dissensio do-  
ceat hominum constantiam, in iis, quæ ducunt ad  
beatam vitam requiri, quædam de proverbiali illa  
locutione adjiciam: Dicis causa id fieri dicebant  
veteres Jcti, quod nulla alia de causa siebat, quam  
ut factum esse diceretur. Exemplo sunt Caji ver-  
ba; sepe inquit, ad hoc commodantur pecuniae,  
ut dicis gratia intercedant id est in pompam,  
ostentationem, sive simulatam rei veritatem. Et  
Ulpianus scribit: excusantur servi, qui auxilium  
tulerant sine dolo malo, nam si finxerit quis auxi-  
lium ferre, vel dicis gratia tulit, nihil commentum  
illi proderit. His verbis significat Jctus, si non  
animo Dominum defendendi, sed tantum propter  
dicentem, id est eum, qui aderat & dicere pote-  
rat, servum conatum esse suum dominum defen-  
dere, hæc simulatio nihil illi proderit: perbellè  
igitur hæc dictio cadit in homines, qui se beatos  
esse velle, ja<sup>c</sup>itant, sed tantum dicis Causa hoc est  
ut qui auscultant, dicere & testari possint illos fe-  
licitatem appetere. Cæterum aliud dicunt, aliud  
faciunt adumbrata & fictitia virtutis Professione:  
Sed isti homines meo judicio & se & alios fallunt,  
atque recte vocantur Stelliones, cum etiam phrasè  
& locutione Jctorum is homo stellio dicitur, qui  
animo inconstans & varius est, cum verbis tu-  
factis, nimirum, qui aliud ore promittit, aliud condit-

in pectore. **U**nus crimen stellionatus deduxere à stellione animali fraudulentio, quod cum sit variū, coloribus & maculis aspersum, quasi stellis, repræsentat homines varios lingua, & moribus maculosos, cum nimis dictis facta non consentiunt. Hujus farinæ illi erant, qui sub titulo sapientum dicis gratia, & in speciem docebant, divitias ad felicem vitam non conducere, imo esse impedimento: interea vero pecunias ipsi tenacius suppressas asservabant, quos proinde scite carpit Papinius his verbis: vere philosophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendæ cupidine fidem ad severationem detegunt. Qui ergo arrogantiæ vicio occæcati censem se acquisivisse felicitatem Civilem & quærunt potius gloriam & splendorem, seu potius imaginem splendoris, illi felicitatem simul, & gloriam atque splendorem perdunt.

Omnia enim in ipsâ sunt facta, & simulata, qui autem vel simulatione, vel inani ostentatione facta, non modo sermone, sed etiam vultu stabiliter errant, ait Cicero 2. de Offic. vera gloria radites agit, atque etiam propagatur; facta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt; nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Quocirca astutiæ tollendæ sunt, atq; malitia, quæ vult quidem

dem videri esse se prudentiam, sed abest ab ea, distatq; plurimum. Prudentia enim est, locata in delectu bonorum, & malorum: malitia vero bonis anteponit mala; & astutia omnia ad suam utilitatem, sub specie justiciæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur, cum tamen plane sint injusti, & iniqui, agantq; strenue, adversus illud à dictamine rationis rectæ, quod profluit, præceptum: Operam dandam esse, ne quid contra æquitatem contendatur; ne quid per injuriam. Fundamentum enim perpetuæ commendationis & famæ justicia est, sine qua nihil potest esse laudabile. Omni igitur ratione Justicia collenda, & retinenda, tum ipsa propter sese, (nam aliter Justicia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ, quanquam præclare Socrates hanc viam ad solidam gloriam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.

Hactenus quasi loquentem audivisti Heinrichum Rhaniūm, cuius pietatem, prudentiam, ingenii acumen, facundiam sicut ex aliis multis rerum argumentis, ita & ex recitata Oratione satis & super cognoscere & mirari habetis. Tu Excelsa anima æternum vale mihi nunc induenda,

assumendaq; alia persona erit. Serenissimus Princeps ac DN., DN. CHRISTIANUS, Dux Mecklenburgicus, Princeps Vandalorum, Sverini, & Ratzeburgi, Comes Sverinensis, Rostochi & Stargardiæ Dynasta, Universitatis hujus Cancellerius magnificentissimus, Dominus meus Clementissimus, vices suas in hoc Promotionis actu mihi demandatas voluit, suoque nomine, quicquid hic agendum, expediri à me, proinde cum Tu spectabilis DN. Decane, Amplissime DN. D. Redeker Collega & amice pl. colende, serio à me contendas, ut potestatem tibi indulgem Viris his Juvenibus LL. scientiâ, & Virtute insigniter claris atq; præstantibus supremum in Jure dignitatis gradu conferendi, vos primum allo quor, qui in inferiori Catedra adhuc, quasi in procinctu, & repagulis statis exspectatisque sanctæ Justiciæ amplexus, tiaram, annulum, luculenta promeriti honoris documenta, & testimonia, ut in antecessum pro antiqua consuetudine, jurisjurandi quod minister Academiæ publicus, conceptis verbis vobis præibir, Sacramento fidem vestram obstringatis.

Nunc ergo postquam fidem dedere, tam præsentes, quam absentes suo loco & tempore, ego autoritate qua in præsens polleo & instructus sum, delegata mihi & impertit à Serenissimo cunctot. Tit.

TE

TE VVULBRANDUM ADOLPHUM ROBBIGIUM, ab Halber-  
spring, Sereniss. Ducis Lunæburg Brunsvicen-  
sis Consiliarium & Adlocutum Fisci, absen-  
tem tanquam præsentem.

TE LUCAM Koß / Güstrovensem Mec-  
klenburgicum.

TE JOANNEM CHRISTIANUM  
Biesheim Rostochiensem.

TE GEORGIUM RADOVUM,  
Borussum.

TE OTTONEM NICOLAUM  
Reppenhagen / Suerinensem.

TE MICHAELEM PANCRATIUM  
Transylvanicum.

TE DAVIDEM Schühen / Güstrovien-  
sem.

TE JOANNEM BERNHARDVM  
Sünkerling / Sternbergensem, absentem tan-  
quam præsentem.

TE JOACHIMVM FRIDERICVM  
Carstens / Lubecensem, absentem tanquam  
præsentem.

Adeoq; omnes & singulos Juris utriusq; Civilis &  
Canonici Licentiatos creo, renuncio, proclamo in  
nomine Sacro sanctæ Trinitatis, Patris, Filii, &  
Spi-

Spiritus Sancti, vobisque omnibus & singulis con-  
cedo potestatem ac Licentiam, titulum, Insi-  
gnia, & Privilegia Doctorum assumendi, & à  
manu spectabilis hujus actus Decani capiendi.  
Faciat ille supremus rerum omnium arbiter, &  
Academiarum antistes Optimus Maximus, ut no-  
va honorum accessio, qua jam donantur Clarissi-  
mi hi nostri Candidati, militet imprimis æternæ  
gloriae nominis divini, tum insimul vergat in Rei-  
publicæ stabilimentum, Ordinis & Universita-  
tis nostræ decus, ipsorumque DN. Can-  
didatorum prosperitatem luculen-  
tissimam.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn756517052/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756517052/phys_0031)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756517052/phys\\_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756517052/phys_0032)

DFG

TE VVULBRANDU  
PHUM ROBBIGIU  
spring, Sereniss. Ducis Lunæl  
sis Consiliarium & Ad-ocata  
tem tanquam præsentem.  
TE LUCAM Koch / Gust  
klenburgicum.  
TE JOANNEM CHR  
Beselini Rostochiensem.  
TE GEORGIUM RA  
Borussum.  
TE OTTONEM NI  
Reppenhagen / Suerinensem.  
TE MICHAELEM PAN  
Transylvanicum.  
TE DAVIDEM Schühe  
sem.  
TE JOANNEM BERN  
Zinßerling / Sternbergensem  
quam præsentem.  
TE JOACHIMVM FRI  
Carstens Lubecensem, abs  
præsentem.  
Adeoq; omnes & singulos Juris u  
Canonici Licentiatos creo, renun  
nomine Sacro sanctæ Trinitatis,



the scale towards document

DOL  
Halber  
svicen  
absen  
Me  
NUM  
UM,  
UM  
IUM  
ovien  
VUM  
ntan  
VM  
quam  
villis &  
mo in  
li, &  
Spi-